in tanta, tamq dulci sibiq per omnia consentienti doctrinæ publica luce, puritate, ac perspicuitate. ceu in factiones ac sectas odijs acerbissimis inter se digladiantes, discissi & docentes & Ecclesia fuerunt, quodq uspiam in his ecclesijs, amplectentibus ac profitentibus doctrinam studio & uoce Lutheri & Philippi repurgatam, fuerunt homines, qui latratibus & ululatuj Apostatarum, Philippo tum & scholæ Witebergensi maledicentium, aures præbuerint.

Debentur uero luci publicæ hæ ipsæ lucubrationes Philippi, hanc etiam ob causam, quod pars illorum prior iam ante annos uiginti quatuor publice edita. & tum ab ipso Philippo censuræ Ecclesiarum Saxonicarum reuerenter subiecta & illis ipsis clamoribus & criminationibus, quibus ab Apostata Flacio, eiusq manipularibus tum oppugnabatur, opposita est, addita simul promissione submissurum se & reliquam Symboli partem, si prior Ecclesijs Saxonicis probaretur.

Illa itaq cum tot iam annos in luce publica extet, posteriorem quoq illi coniungi operæ precium fuerit. Ita enim de toto doctrinæ Philippeæ systemate, deq dulcissima illius cum Luthero symphonia ac consensu perpetuo, deq constantia